



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. An ratione excommunicationis prohibita nobis sit communicatio
cum hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

nem apposuit. Alios etiam plures auctores pro ea opinione affert Sanctarellus *tract. de heresi, cap. 13, dub. unico, n. 16*. Sed ij sunt antiquiores, & qui Bullam Iulij III. præcesserunt.

107

Omnes ergo communiter dicunt, hodie esse obligationem tradendi hos libros inquisitoribus propter speciale præceptum sub excommunicatione impositum, ut diximus: Ita Suarez *in præseni dicta sect. 2. num. 23*. Sanchez *dicto c. 10. n. 56*. Hurtado *dicta disp. 76. §. 3 12*. Azor, Farinacius, & alij plurimi, quos congerunt, & sequuntur Castro Palao, & Diana locis citatis. Cum autem hoc totum fundetur in iure humano, & voluntate Summi Pontificis id præipientis, non oportet alias rationes superaddere. Aduertunt tamen benè prædicti Auctores, si quis propria auctoritate eos libros combureret, non incurtere excommunicationem Bullæ Cæne, sed aliam, quia illa est contra retinentes, qui autem librum comburit, non retinet, nisi fortè iam antea culpabiliter, & scienter retinisset: tunc enim iam Bullæ excommunicationem incurrit, à qua per combustionem sequentem non liberatur, imò nec tradendo libros inquisitori, sed indiget absolutione, ut constat.

108

An legentes, vel retinentes libros alicuius prohibitos, qui non sunt hereticorum, incurrant excommunicationem.

Secundum dubium esse potest, an legentes, vel retinentes libros alios prohibitos, qui non sunt hereticorum hæresim continentem, vel de religione tractantes, incurrant excommunicationem. De quo in vniuersum consulenda sunt edita, & prohibitiones promulgatæ ab Inquisitoribus in suis prouincijs & territorijs. Et videri possunt Suarez *dicta sect. 2. numero 29*. Sanchez *num. 26*. & Castro Palao *dicto puncto 10. in principio, & §. 1. num. 2. & 7.* apud quos constat censuræ pœnam extensam esse, ad aliquos alios libros: & in vniuersum Pius IV. in sua Bulla relata ante indicem librorum prohibitorum expressè statuit, *ut qui hereticorum libros, vel cuiusvis Auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, tanquam de heresi suspectum inquiri, & procedi liceat: præter aliam pœnam super hoc ab Apostolica sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerit, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.* Factæ sunt etiam aliæ extensiones excommunicationis, & aliquando reseruatæ ad libros Astrologiæ iudiciariæ, ad libros quoscunque hæresiarum, & ad aliquos libros Hebræorum, quæ videri possunt apud Suarez, & Castrum Palao locis citatis.

De denuntiatione, & obligatione denuntiandi hereticos reuocatos.

Agendum hic esset de denuntiatione, & obligatione denuntiandi hereticos, quod est aliud medium, quo Ecclesia utitur ad hereticos corrigendos, & coercendos. De hoc tamen dixi quantum satis est *disp. 38. de Iustit. & Iure sect. 2.* quibus nihil nunc addendum videtur, & videri possunt, vltra Auctores ibi citatos, Suarez *in præseni disputatione vigesima, sectione quarta*, & Castro Palao *primo tomo tractatu quarto, disputatione tertia, puncto quarto*.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.



DISPUTATIO XXII.

De Communicatione cum hæreticis prohibita, vbi de communicatione cum alijs infidelibus.

SECTIO I. An ratione excommunicationis prohibita nobis sit communicatio cum hæreticis.

II. De communicatione prohibita cum hæreticis in matrimonio, vbi de separatione à coniuge in hæresim lapsa.

III. Quando, & quomodo possit, vel debeat coniux à coniuge hæretico diuertere.

IV. De communicatione ciuili cum Paganis, & præsertim cum Indeis prohibita.

V. Disputatio cum infidelibus, an, & quomodo licita sit.

Hoc est aliud medium vtile, & necessarium contra hæreticos, communicationem cum illis interdicens. Quia verò non solum cum hæreticis, sed etiam cum alijs infidelibus, imò in pluribus aliquando casibus, & strictius, communicatio fidelibus prohibetur; comprehendemus hac disputatione, quæ ad communicationem etiam cum alijs infidelibus illicitam spectant, quam partem ad hunc locum remisimus, cum debuisset superius examinari, quando de infidelibus non baptizatis sermo fuit. Agemus autem prius de ijs, quæ propria sunt hæreticorum, postea de ijs, quæ pertinent ad alios infideles, postea denique de ijs, quæ vtrisque communia sunt.

SECTIO I.

An ratione excommunicationis prohibita nobis sit communicatio cum hæreticis.

Suppono, hanc communicationem posse aliquid esse illicitam propter scandalum, vel propter periculum peruersionis, vel aliquid aliud: nunc verò solum querimus, an ex hoc præcisè capite, quod hæretici omnes excommunicati sunt, ut suppono ex disputatione sequenti, reddatur illicita communicatio cum illis. Est autem duplex excommunicatio, altera sacra, seu in rebus sacris, altera ciuili, seu in rebus profanis, & ciuilibus, & de vtraque potest questio procedere.

Prima sententia docet, quoties constat aliquem esse hæreticum, eò ipso prohibitam esse

E E c 3 cum

cum illo communicationem: Ita Sotus in 4. dist. 25. quest. 1. art. 1. & 3. & dist. 20. quest. 1. art. 5. conclusi. 2. Communis tamen sententia id negat, quando hæreticus non est iuridicè declaratus, & denunciatus; quia Concilium Constantiense indultit generaliter omnibus fidelibus, vt possent licetè communicare cum omnibus excommunicatis, exceptis nominatim denunciatis, & notoriis Clericorum percussoribus; vbi nulla prorsus fit exceptio de hæreticis; non est ergo cur indultum illud ad communicationem etiam cum illis non extendatur. Ita Tolerus, Vgolinus, Suarez, Azor, & alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 9. num. 3. Hurtado in presenti disp. 76. §. 4. & alij communiter, quod ego etiam in alijs locis semper amplexus sum.

2
Obiectio 1.

Pro contraria tamen sententia obiicitur primò ex cap. Sicut ait, de hæreticis, vbi anathemate puniuntur, qui cum hæreticis negotiationem exercere præsumunt. Respondet Hurtado §. 8. ante Concilium Constantiense cum omni excommunicatione notorio fuisse interdictam communicationem, quare interdicta etiam erat cum omni hæretico, quod tamen in Concilio illo prædictam moderationem accepit. Hoc tamen non satisfacit, quia communicatio ciuilibus in negotiatione humana cum excommunicato etiam ante Concilium Constantiense non puniebatur excommunicatione maiori, sed minori, sicut nunc de facto communicantes ciuilibiter cum denuntiato non incurrunt, nisi minorem excommunicationem. In illo autem textu exercentes negotiationem cum hæreticis anathemate puniuntur, quod certè plus est, quàm excommunicatio minor: ergo prohibitio illa non erat communis omnibus communicantibus cum excommunicatis notorijs, sed peculiaris in ordine ad hæreticos. Faciliùs ergo responderetur, etiam si prohibitio illius capituli diuersa sit à prohibitione generali communicandi cum excommunicatis, eam tamen comprehendi sub generali indulto Concilij Constantiensis, in quo omnis communicatio prohibita, siue ob censuram, siue ob quodlibet aliud Ecclesiasticum præceptum aufertur, exceptis illis duobus excommunicatorum generibus: verba enim Concilij in extrauaganti illa, *Ad euitandam: sunt hæc: Nemo post hæc teneatur abstinere, & separare se, nec euitare communicationem alicuius ratione alicuius sententia, aut censura Ecclesiastica, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgata, &c.* Quæ verba generalia habentur in Concil. Basiliensi sessio. 20. ad finem, & decreto Concil. Constantiensis relato ab Antonino part. 3. tit. 25. c. 3. siue ergo prohibitio communicationis cum hæreticis procedat ex lege generali, ratione excommunicationis in genere, siue ex lege particulari strictiùs, & grauius prohibente communicationem cum hæreticis, id totum sublatum videtur illis generalibus verbis Concilij Constantiensis, quando hæreticus non est denuntiat.

3
Obiectio 2.

Secundò obiicitur ex c. si quem forte 24. q. 1. vbi puniuntur, qui ab hæreticis, & Schismaticis sacramenta accipiunt, seclusa extrema necessitate. Responderetur eodem modo prohibitionem illam, quatenus est ex iure humano, moderationem habere ex dicto decreto Concilij Constantiensis: manere tamen quatenus est ex iure diuino,

vel naturali in multis casibus: vt g. si timeatur periculum peruetionis, si sit implicite communicatio in falsa doctrina, aut ritibus falsis, si sequatur scandalum, si detur sine necessitate occasio hæretico ministrandi indignè sacramentum, & in alijs casibus similibus.

Tertiò obiicitur potest, quod excommunicatio hæreticorum videatur esse de iure diuino, atque Concilij Constantiensis. Respondet Hurtado c. 1. supra §. 9. dato antecedenti, negando illationem: nam licet hæretici de iure diuino essent excommunicati, atque adeo non possent licetè recipere, nec conferre sacramenta; non est tamen de essentia excommunicationis, quod alij fideles non possint cum excommunicato communicare, sed id additum est ab Ecclesia, quæ potest hunc effectum aliquando tollere. Hæc tamen responsio non potest satisfacere: quia argumenta, quæ probant hæreticos esse de iure diuino excommunicatos, si quæ sunt, probant potissimè de communicatione aliorum cum illis prohibita. Ad hoc enim afferuntur verba Iohannis epist. 2. ne quis illis dixeritis, & Pauli 1. ad Corinth. 5. cum eiusmodi nec cibum sumere, & alia huiusmodi, quæ immediatè de secunda communicatione agunt: & ex hac communicatione cum illis prohibita arguunt aliqui eos esse de iure diuino excommunicatos: non potuit ergo permitti ab Ecclesia communicatio cum illis, si non potuit eos non habere excommunicatos. Negandus ergo est antecedens, de quo ex professo dicendum est disp. sequenti, agendo de excommunicatione hæreticorum.

Hoc ergo supposito, in quo omnes iam fetè conueniunt, restant dubia aliqua circa applicationem huius doctrinæ, ad casus particulares. Dubitatur ergo primò an licet communicare etiam cum hæretico, qui nominatim per sententiam condemnatus est, & declaratus hæreticus. Prima sententia satis communis id negat, quia cum excommunicatio sit indubitanter, & semper affixa hæresi, idem est iudicialiter declaratum aliquem nominatim hæreticum, ac declaratum illum excommunicatum. Ita uterque Sotus Medina, Henriquez, Gutierrez, & alij, quos affert Sanchez dicto c. 9. num. 4. dicens eam sententiam probabilissimam esse, quam ex professo probat Suarez de Censuris disp. 9. sect. 2. nu. 10. & in presenti disp. 21. sect. 3. num. 8. Alij tamen dicunt, id non sufficere, vt sit excommunicatus vitandus, nisi iudex declaret eum censuram incurrisse. Ita Nauarrus, & Grassius, quos affert, & sequitur Sanchez dicto num. 4. qui addit, non sufficere, quod declaretur incurrisse penas, vel etiam censuras hæreticis impositas, nisi declaretur excommunicationem incurrisse, quia aliqui adhuc ignorant, an hæreticis imposita sit excommunicationis pena. Quam sententiam Suarez in presenti dicta sect. 3. num. 8. probabilem putat, quando Iudex solum declarauit crimen hæresis, non verò si declarauerit incurrisse censuras. Quando tamen declarauit incurrisse penas hæreticorum, non nominando censuras, ipse Suarez non explicuit, an existimaret probabilem hanc Sanctij opinionem.

Vnde obiter aduerte, statum huius controuersie non bene explicatum ab Hurtado dicta disp. 76. §. 10. sed præter vtriusque partis mentem ipse enim

enim dicit, quæstionem esse an si Iudex dicat, damno *Henricum hereticum*, & illum dico incurrisse excommunicationem: id sufficiat, ut sit vitandus. In qua quæstione affirmat P. Suarez: Sanchez verò negat, nisi Iudex addat, illum nunc excommunicat, aut iubeo vitari. Quod quidem longè abest à mente horum Auctorum: nam Sanchez expressè assertit esse vitandum si Iudex declarat eum incurrisse excommunicationem, negat tamen, quando id solum tacitè declarat, & per consequentias, nimirum declarando solum crimen, vel incurrisse pœnas, aut censuras, non exprimendo excommunicationem: Suarez verò dicit sufficere, quòd declaratur crimen, quæ est quæstio valde diversa. Vnde non meliùs idem Hurtado intulit hoc corollarium: *Ex opinione*, inquit, *Patris Suarez sequitur, nos non posse communicare eum heretico damnato à Quæstoribus ex opinione Patria Thoma sequitur oppositum*. Quod approbavit etiam Diana *part. 5. tract. 14. Miscellan. resolut. 97*. Quæ certè illatio est contra mentem utriusque. Nam Suarez *num. 8*, notat expressè, hanc quæstionem in praxi vix vnquam posse habere locum: quia ut fatetur Simancas *in instit. tit. 9. num. 16*, iudices non solent declarare aliquem hereticum, quin simul declarent pœnas ab eo incurtas, & incurendas: quare de facto in vtraque sententia heretici condemnati vitandi sunt, quia semper declarantur excommunicari: quod ego intelligo quando non absoluntur. Communiter enim Inquisitores statim post prolatam sententiam faciunt reos abiurare, & eos absolunt. Nec Sanchez dixit de facto posse nos communicare cum heretico condemnato ab Inquisitoribus, sed solum sub conditione si non declaretur incurrisse excommunicationem. Quæ quidem conditionalis de facto parum delectat, quia ut constat ex formulis processuum & sententiarum sancti Officii, quæ circumferuntur in libris agentibus de praxi illius tribunalis, in sententia reus declaratur hereticus, & incurrisse in omnes pœnas, & censuras hereticis statutis: & postea expressè explicatur, quia reus pœnitentiæ signa ostendit, dari ei præmissa abiuratione absolutionem ab excommunicatione, quam ob hæresim prædictam incurrit. Falsum ergo est, quod iuxta Sancij sententiam possumus de facto communicare cum heretico ab Inquisitoribus condemnato.

7
Sufficiens declaratur hereticus vitandus, quòd publicatur sententia iudicis declarantis illum esse hereticum, & incurrisse censuras contra hereticos statutis, etiam si sub nomine excommunicationis non exprimitur, quia sufficiens per voces æquipollentes exprimitur. Sicut licet in testamento nuncupatio testator debeat voce articulata coram testibus exprimere heredem, vel scribere, sufficit tamen si dicat in lituo heredem fratrem meum, quando vnicum fratrem habet, quia id æquivalente est illum nominare, ut cum communi dixi *disp. 24. de Inst. sect. 1. num. 4*. Similiter ergo sufficiens dicitur Petrum incurrisse censuras contra hereticos latis, cum constet hereticos esse in iure excommunicatos: quis enim neget sufficiens exprimi esse excommunicatum eum, qui publicatur incurrisse censuram Canonis contra Clericorum percussores, cum constet, hoc nomine, excom-

municationem Canonis si quis suadente, significari, & intelligi: Imò in eodem decreto Concilij Constantiensis, hæc non exprimitur sub nomine, excommunicationis, sed sub nomine, *sententia Canonis* his verbis: *saluo si quem, pro sacrilega manu iniectione in Clericum, sententiam latam à canone adeo notoriè confiteri incidisse*. Ratio autem est, quia definitio, & definitum idem sunt: cum ergo excommunicatio heretici sit censura peculiaris contra hereticos statuta, qui hanc iuridicè promulgat, eo ipso promulgat excommunicationem. Nec obstat, quod aliquis ignorare possit, censuram illam esse excommunicationem: nam possit etiam alius ignorare, illam esse excommunicationem maiorem, atque adeo non sufficeret declarare, quòd incurritur excommunicationem, sed deberet exprimi, quòd incurritur excommunicationem, maiorem, quod tamen Sanchez non concedit. Atque in exemplo etiam supra adducto possit aliquis testis ignorare Petrum esse fratrem testatoris: sufficit tamen, quòd sciat fratrem esse heredem, ex qua notitia statim veniet facilè in notitiam personæ determinate.

8
Existimo tamen secundò cum P. Sanchez ad obligationem vitandi hereticum ob excommunicationem non sufficere, quòd in sententia declaretur hereticus. Ratio autem est, quia in illa extraneitate, ad evitanda, ad obligationem vitandi excommunicatum, requiri videtur, quòd non solum crimen, sed censura ipsa fuerit à Iudice promulgata, & non aliter, nisi censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam certam à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè, & c. ut videtur potest apud Suarez *dist. 4. disp. 9. de Censuris sect. 2. num. 2*. ubi extraneitatem integram refert. Iudex ergo debet non solum crimen, sed censuram promulgare, ut obligatio vitandi oriatur, quod non fit, si Iudex solum declarat heresis crimen: tunc enim censura non publicatur à Iudice, sed à sola lege imponente excommunicationem hereticis: non ergo concurrunt requisita à Concilio ad excommunicatum vitandum.

Non sufficit quòd in sententia declaretur hereticus, sed requiritur quòd censura fuerit à Iudice promulgata.

9
Difficultas esse possit, quando à Iudice aliquis declaratur, & publicatur hereticus, & contraxisse omnes pœnas hereticis statutis, non exprimendo censuras. In quo casu Sanchez negat esse vitandum, Suarez verò affirmat, non tamen explicuit, ut dixi, an contrarium esset, vel non esset probabile, ut explicuerat in casu præcedenti esse probabile non debere vitari, quando solum declaratur crimen: in hoc ergo casu, qui tamen raro, aut nunquam contingere potest, utrumque possit probabiliter dici. Qui enim cum Sanctio negaret, possit id fundare in verbis dictæ extraneitatis, in quibus exigitur, quòd sit à Iudice censura ipsa promulgata: quare ad minus videtur exigi, quòd sub nomine *censuræ* exprimitur: nam nomen illud genericum *pœnarum*, videtur nimis latum, & minus sufficiens, ut censura ipsa dicatur à Iudice denunciata, & publicata specialiter, & expressè. Aliunde verò qui id affirmet cum Suarío, probare id potest, quia sicut excommunicatio, sufficiens exprimitur, ut dicebamus, quando exprimitur incurrisse censuram contra hereticos latis, sic videtur sufficiens exprimi, quando exprimitur incurrisse pœnas hereticorum, cum constet hanc esse vnã ex iis pœnis. Verba autem illa specialiter, & expressè, referti

Quando nam à Iudice aliquis publicatur hereticus, & incurrisse pœnas hereticis statutis, non exprimitur censuras?



possunt non ad censuram, sed ad personam, vt necesse sit sententiam ferri ad personam specialem, & expressam, non in confuso, vt fit quando declarantur excommunicati omnes, qui tale crimen commiserunt. Hoc tamen, vt dixi, ad praxim parum refert, quia communiter Iudex in sententia declarat hæreticum incurrisse pœnas, & censuras, & excommunicationem, à qua si pœnitentiam ostendit, iubet, abiuratione præmissa, quod statim absoluat.

IO
An non solum in civilibus, & humanis possimus cum hæretico non denunciato communicare, sed etiam in sacris, & spiritualibus.

Secundò principaliter dubitatur, an non solum in civilibus, & humanis possimus cum hæretico non denunciato communicare, sed etiam in sacris, & spiritualibus. Certum autem est non posse nos cum hæreticis communicare in ritibus propriis sectæ hæreticæ; quia hoc esset contra præceptum confessionis fidei, & contineret, implicitam professionem erroris: sed quæstio est de rebus sacris nullum errorem continentibus, v.g. an liceat cum hæretico missam audire, vel eo præsentate celebrare, vel ipsi ritu Catholico celebranti adesse, &c. Negat Basilius Pontius in romo de matrimonio in fine in Appendice de matrimonio Catholici cum hæretico cap. 9. §. 1. num. 8. dicens, *coram hæretico ex nulla causa celebrari posse, nec ex grauisimo metu*: idque pro comperto supponit, nec vlla ratione probat. Miror, virum doctum, non aduertisse in contrarium esse auctoritatem omnium Doctorum, quos sequuntur Sanchez ex dicto cap. 9. numer. 7. Suarez dicta sect. 3. num. 5. Azor, & alij, quos sequitur Hurtado dicta disp. 76. §. 12. & constat ex dictis, quia excommunicatus non denunciatus, nec notorius Clerici percussor non est vitandus etiam in sacris, vt constat ex dicta extrauaganti, ex eadem autem quod hæreticus sit, non est specialis ratio, cur id non liceat, nisi aliunde sit scandalum, vel irreuerentia contra fidem, aut aliquid aliud, quæ omnia sunt extrinseca, & non semper inveniuntur. Vfus etiam est in contrarium, nam Principes aliqui hæretici, qui quandoque Romam, vel ad alia Catholicorum loca, permittentibus superioribus, veniunt, eunt ad Ecclesias, & sacris interfunt, sacerdotibus id sciētibus, & absque scrupulo celebrantibus. Imò vidi ego aliquando eos coram sacro Cardinalium Collegio Missæ solemnij interesse, scientibus bene omnibus eos esse hæreticos, & simulantibus, & merito propter fructum experientia probatum concipiunt enim meliora de ritibus Catholicis, & fraudes suorum magistrorum aduertunt. Fateor, eos seclusa ignorantia non posse missæ interesse, cum excommunicati sint, & Concilium Constantiense illis non faueat: qui tamen coram illis celebrant, non peccant, cum ab eodem Concilio licentiam habeant cum illis communicandi in profanis, atque etiam in sacris.

II
An possint Catholici ab hæreticis non denunciatis sacramenta suscipere.

Tertiò tamen dubitari magis potest, an possint Catholici ab hæreticis non denunciatis sacramenta suscipere. Negat Azor 1. tom. lib. 8. c. 11. q. 7. & c. 13. q. 7. licet parum constans in fundamento: nam primo loco dicit, id prouenire non solum ob excommunicationem, sed etiam ob hæresim: in 2. autem loco dicit, non esse ob hæresim, sed ob excommunicationem, quatenus omnis excommunicatus etiam occultus caret iurisdictione, cui fauet Sorus in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. conclus. 2. ex alio fundamento, quia putat omnes hæreticos, & schismaticos censeri nominatim excommunicatos, & vitandos.

Contraria sententia communis, & vera est, nisi aliunde ratione scandali, vel ob negationem fidei implicitam illicitum sit, vel quia charitas obligat ad impediendum peccatum ministri hæretici indignè ministrantis, si necessitas non vigeat: ita cum Nauarro Sanchez *ubi supra* num. 10. Suarez num. 5. Hurtado *ubi supra* §. 13. & loquens de sacramento pœnitentiæ idem dixi disp. 18. de Pœnitentiæ sect. 2. num. 18. & 19. & loquens de matrimonio ac aliis sacramentis, idem dixi disp. 8. de sacramentis in genere, sect. 14. & constat ex dicta extrauaganti, in qua conceditur fidelibus communicatio cum excommunicatis toleratis in susceptione, & administratione sacramentorum: cum ergo ij hæretici non sint excommunicati denunciati, nec notorii Clerici percussores, non est cur ratione excommunicationis prohibeamur ab iis sacramenta suscipere: quamuis id aliunde possit sæpè illicitum esse, nisi necessitas excuset, vt explicui in prædictis locis. An verò possit etiam Catholicus iis aliquando sacramenta ministrare, dixi prædicta disp. 8. de sacramentis in genere.

Agit rursus Hurtado in hoc loco dicta disp. 76. §. 15. & sequentibus de aliis communicationibus generibus in rebus sacris nempe de Catholico suscipiente ex sacro fonte filium hæretici, de comitante funus hæretici, de sepeliente hæreticum in templo: de quibus tamen, & aliis ad hanc materiam spectantibus nos diximus ex professo supra disp. 14. sect. 5. §. 5. & ibi videri possunt. Restabat, dicere de communicatione cum iis hæreticis in matrimonio cum illis contrahendo; de hoc tamen dicemus sectione sequenti.

SECTIO II.

De communicatione prohibita cum hæreticis in matrimonio, ubi de separatione à coniuge in hæresim lapsa.

NON agimus hic de impedimento disparis cultus, seu de prohibitione contrahendi matrimonium cum infideli non baptizato: de hoc enim ferè nulla est difficultas, & de eo agitur ex professo in tract. de matrimonio, ubi de impedimento dirimenti disparis cultus. Nunc ergo solum loquimur de matrimonio cum hæretico baptizato: de quo argumento agit post alios Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 7. & latius P. Serarius in opusculo de matrimonio Catholici cum hæretico, & postea Basilius Pontius in alio opusculo, quod ponitur post librum 12. de matrimonio, & inscribitur Appendix de matrimonio Catholici cum hæretico, ubi eruditè & copiosè hæc materia tractatur: quare nos breuiter & in compendio dicemus, quæ necessaria sunt, reliqua ad eos Auctores remittendo qui alios plures afferunt.

In primis ergo statuendum est, ea matrimonia valida esse; cuius contrarium docuerunt Hostiensis, Ancharanus, Simancas Carterius, & Carolus Roias, quos affert Sanchez *ibi* num. 1. quibus fauet glossa in cap. fin. verbo *contra substantiam*, fauet conditioibus oppositis. Nostram tamen sententiam tenent inubiquitanter ceteri Iuris doctores, & Theologi omnes cum S. Thoma, quos affert, & sequitur Sanchez *ibi* num. 2. & Reccentiores,